

*Urkunde Aldrichs; Quantin
I, 40 ff.*

At vero episcopus, qui pro tempore auctore Deo prae fuerit, abbatem de eodem monasterio, eum videlicet, quem omnis congregatio sibi ordinandum poposcerit et sinceritas morum et bonorum actuum probitas commendaverit, si inter eos talis inveniri quiverit, eis ordinandum procuret. Quodsi talis inter eos minime inveniri potuerit, de eadem parochia vel dioecesi Senonica, consentientibus sanctis coepiscopis eiusdem dioecesis et circumpositis venerabilibus abbatibus, eis praeficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque monachis hunc modum abbas, qui praefuerit, teneat, ut tricenarium numerum quantitatis summa non excedat, donec rerum copia maior succrescat. Episcopus quoque in exigendis muneribus abbatem eiusdem loci non gravet, sed sufficiat ei ad annua dona equus unus et scutum cum lancea. Quodsi in expeditionem publicam ire iussus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, unum vini, alterum farine, verveces decem, supra quae in exigendis muneribus cupiditatis avaritiaeque causa gravare eos nullatenus praesumat, ne et monachi eiusdem cellule huiusmodi negotio a suo proposito exorbitare et episcopus causa eorum per-

*Urkunde Ludwigs; Quantin
I, 48 f.*

Die Urkunde Ludwigs führt unmittelbar nach dem obenstehenden Auszuge fort: Verum licet ecclesiastica atque pontificalis constitutio sua immoque divina auctoritate firma esse praevaleat, tamen non indecens atque incongruum iudicavit, si nostra etiam imperiali auctoritate sua constitutio firma esse perpetuo sanciretur. Proinde hos nostrae auctoritatis imperiales apices erga saepedictum monasterium fieri decrevimus, per quos decernentes praecipimus atque sancimus, ut, sicut a memorato venerabili Aldrico archiepiscopo, consentientibus reverendis dignissimo honore coepiscopis suis, constitutum ac privilegio eorundem aliorumque conplurium sacerdotum Christi atque abbatum manibus roborato confirmatum est, ita deinceps per hanc nostram auctoritatem fixum atque inconvulsum inviolabiliter permaneat nec quispiam episcoporum in memorata urbe per tempora labentia Christo propitio succedentium quicquam minuere, immutare aut quipiam servitii amplius, quam in saepedicto privilegio insertum est, augere praesumat. Sed liceat monachis per tempora inibi Deo militantibus sub conditionibus in iam dicto privilegio taxatis quiete regulariterque vivere et pro nobis, coniuge proleque nostra